Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8166
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

habere: & hospitem meum, ne suis in ædibus
me retineret, sollicitare: et certos quosdam homi-
nes, qui in lectionibus meis strepitum excitaret,
clam submitere: & non nullos contra me con-
scriptos pasquillos p totum illud oppidum spar-
gere. Quibus ego minuis commotus ipsum publicè
in publicum certamen philosophicum provocavi:
ad quod quia nec ipse Rector, nec sectatores
eius venire auderent, sed barbarorum hominum more
in gladiatorium certamen me exposcerent:
id circo præstantissimus D. Hieronymus Baum-
gartner Septemvir, & Scholarcha Noriber-
gensis statim Altorfium advolavit, meque in de
incolumem in urbem reduxit: Ubi à mense
mense Ianu ad dies usq; caniculares huius
anni publicè docui in magno hypocausto
Abbatis Egidiani: auditoresq; habui omnes
ferè eius Urbis Doctores, Concionatores,
Ludimoderatores, doctosq; Senatores, & patri-
cios iuvenes. Diebus vero caicularibus dimissionem
petij, eamq; 20 die Septembris à Dominis
Scholarchis impetravi. Post impetratam
autem dimissionem Noribergæ Vvratislaviam
me recepi. A me ipso etiam, id est, ab animo
meo semper repugnante, ac resistente
impeditus fui, propterea quod nec dum,